



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1766

Titulus XXIV. De Rapina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)

TITULUS XXIV.
DE RAPINA.

Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 17.

§. 311.

RAPINA apud Romanos æquo pas-
su cum furto inter crimina priva-
ta censebatur. Apud veteres Germanos
ex furto contrahebatur infamia, ex Ra-
pina vero gloria, vigente bellorum pri-
vatorum insania. Pacis profanæ Consti-
tutiones etiam Rapinæ abusum suppres-
serunt 60.) Rapina distinguitur a furto
per vim, dicitur enim, *injusta ablatio
rei alienæ mobilis aut se moventis, per vim
facta, lucri faciendi causa.* De Raptu
personarum matrimonii ineundi cau-
sa, dictum est de Jur. Rer. Eccl. Sect.
II. §. 339. si libidinis causa id fiat, per-
tinet ad crimina contra castitatem in-
ferius enumeranda. *Plagium* commit-
tunt, qui furantur homines liberos
vel servos, eosque vendunt, vel iis
persuadent, ut a parentibus, vel do-
minis suis aufugiant. Hoc loco a-
gendum de Rapina rerum, facta sine
occisione, ut distinguatur a latroci-
nio. Si fiat insidiosa aggressio in viis

*Rapina
definitio.*

B b 2 pub.

60.) Vetera Monumenta allegat LEXSE-
RUS Spesim. 539

publicis , dicitur *Predatio* , vel *Rob-
boria*.

*Ejus ma- §. 312. Violenta ablatio rei propria
litia de- non quidem est Rapina , prohibita
sumitur tamen , ne per vim illatam turbetur
ex vio- tranquillitas publica. Unde in Ra-
latione pina rei alienæ non attenditur quan-
securita- titas vel qualitas rei ablatae , sed vio-
tis publi- latio securitatis publicæ. Hæc au-
ca.* tem violatur non tantum per ipsam
vim adhibitam , sed etiam per metum
illatum , si quis paratum se ostendat
ad vim inferendam resistenti , sive ar-
mis , sive sine armis id fiat : punitur
igitur ut raptor , qui jam iterum re-
stituit rem domino : & in hoc differt
etiam a furto. Vicissim qui rem au-
fert hosti in bello justo , vel legitimi
Magistratus autoritate , vel in extre-
ma necessitate , non dicitur rapinam
committere , quia ablatio non est in-
justa.

*Actiones
& pœna
contra
Rapto-
res.*

§ 313. Ex rapina datur actio *Civilis*
Vi bonorum raptorum ad restituendum
quadruplum , cui simplum inest 61.)
Dominus

61.) Tot. Tit. ff. & C. Vi bonorum ra-
ptorum. Hanc Actionem , quæ tamen
hodie intentari non solet , accurate ex-
plicat JUSTINIANUS Inst. De vi bono-

Dominus territorii, si concedat
cuidam iter agenti saluum condu-
ctum, & iste incedat via regia, te-
netur refarcire damnum a prædoni-
bus in via illatum 62.) : secus si quis
saluum conductum non petierit, aut
a regia via deflexerit. *Criminalis* pœ-
na per Constitutionem Carolinam 63.)
tendit ad mortem, amputatione capi-
tis, exasperanda tamen pro diversi-
tate circumstantiarum & consuetudi-
ne locorum. Tales circumstantiæ
sunt, si deprædatio fiat in viis publi-
cis, si cum armata turba, si spolian-
di manibus pedibusque ligentur, ver-
beribus, vel vulneribus afficiantur
&c. Exasperatio pœnæ fieri solet,
ut Membra frangantur rota, vel sal-
tem corpus post decollationem im-
ponatur rotæ, aut caput affixum pa-
lio in publica via exponatur. Qui ad-
juvant prædones & prædæ participes
sunt, eisdem fere pœnis plectuntur.
Consent tamen multi, unicam & pri-
mam rapinam non esse morte ple-
ctendam: nam Carolina Constitutio

B b 3 se

rum rapt. & Commentatores in eun-
dem titulum.

62.) Rec. Imp. ann. 1559. §. 34.

63.) Art. 126.

se refert ad Jus commune, ex cuius dispositione, *Grassatores*, qui *praedae causa id faciunt*, *proximi latronibus habentur*, & si cum ferro aggredi, & spoliare instituerunt, capite puniuntur, utique si saepius, atque in itineribus hoc admiserunt; ceteri in metallum dantur, vel in insulas relegantur 64.). Crimen fractae Pacis publicae, etiam semel admissum, punitur morte: istud tamen requirit vim armatam, coactis & coadunatis hominibus 65.), quod in Rapina plerumque non contingit Ut quis dicatur *Grassator viarum ad effectum privationis Asyli*, sufficit quidem unus actus, si grassati mors aut mutilatio secuta sit: hac non secuta, relinquit Pontifex denominationem *Grassatoris*, aut *Praedonis* dispositioni juris communis, quod ad poenam mortis videtur requirere actus iteratos 66.).

§. 314.

64.) L. 28. §. 10. ff. de Poenis.

65.) ANDR. GAIL de Pace publ. lib. r. c. 7.

66.) Ita tenent duo Clarissimi Professores Ingolstadienses, JOAN. PETRUS SCHIETENBERGER in Quæst. Illustr. q. 16. & D. JOAN. PAUL. SUTOR in Elect. Jur. & for. concl. 24. contra CARPZONI præct. crim. part. 2. q. 90. n. 22. seqq.

§. 314. Jure Ecclesiastico pœna Ra- *Pœna Ju-*
 pinæ est Excommunicatio infligenda *ris Eccle-*
 ab Episcopo loci, ubi rapina est per- *siastici.*
 petrata 67.). Satisfactione præstita
 Raptores ad pœnitentiam & Sepul-
 turam sacram admittuntur: secus si
 restitutio, vel idonea cautio non fiat.
 Grassatores viarum non gaudere A-
 sylo, jam alibi notatum est. Qui
 christianos naufragium passos, rebus
 suis spoliant, ipso facto incurrunt
 Excommunicationem 68.) & quidem
 reservatam Summo Pontifici 69.)

§. 315. Quæstio hodie inter aliquos *Bona o-*
 agitur, an Bona tempore Lutheri *lim Ec-*
 & annis sequentibus usque ad Pacem *clesiis e-*
 Westphalicam, Ecclesiis aut Mona- *repta, non*
 steriis vi & bello, per eadem tempo- *possunt*
 ra in tota Germania exorto, erepta, *hodie re-*
 Rapinæ nomen mereantur, & restitui *tineri a*
 debeant, si ad Catholicum possessio- *Catholi-*
 rem redeant? si de rebus mobilibus *co posses-*
 moveretur dubium, incideremus in *fore.*
 quæstionem, quæ non habet exitum.
 Igitur de immobilibus præcipue quæ-
 ritur: hæc autem etiam a Catholico
 possessore non posse retineri salva con-
 B b 4 scien-

67.) C. 1. de Raptor.

68.) C. 3. ibid.

69.) Bulla Coenæ Cas. 4.

scientia, ex Catholicis principiis certum esse videtur. Si loquamur de iis, qui vi Pacis Westphalicæ ejusmodi bona obtinuerunt; habent isti exinde possessionem *facti*, nullo autem firmantur jure, præsertim in Foro Canonico, aut in conscientia. Si sermo sit de iis, in quos bona ejusmodi transferuntur per aliam posteriorem conventionem, manet firma conclusio, quod per vim injustam extorta, nunquam transeant in dominium extorquentis: consequenter etiam ab hoc non possit dominium transferri in alium. Possent talia bona ab emptore Catholico ad se trahi ex intentione, ut, sicut in negotiorum gestione fieri solet, priori domino restituantur recepto pretio, quod plerumque levius solet esse 70).

TI.

70.) Vid. BENEDICTI XIV. Bullar. tom. 3. Const. 57 ALPHONSUS VILAGUTIUS de rebus Ecclesiæ non rite alienatis, recuperandis &c. Biga Discussionum, Diff. 2. & ibi citati, contra D. STRAUSS, qui defendit, bona Ecclesiarum per Pacem Westphalicam secularisata, non debere restitui a possessore Catholico, quæ Dissertatio, sicuti Approbationem nullam nec Censoris, nec Facultatis præsert, ita etiam approbationem Lectoris Catholici non obtinebit.